

36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

COLLEGI³⁴

36

POLITICI
DISPUTATIO QUINTA,

De

REPUBLICA,

Quam

In Florentissimâ, Celeberrimaq; Mar-
chicorum Academiâ,

DEO Ter optimo Maximo adspirante,

Nobilissimâ Facultate Philosophicâ suffragante,

PRÆSIDE

VIRO Praclarissimo

M. ELIA GREBENIZ,

Regiomonto-Marchico, Fautore & Præce-
ptore suo ætatem devenerando,

Ex Praelectionibus Ejusdem collectam dispu-
tandam proponit

ad diem 18. Martii loco horisq; constitutis,

SILVESTER Braunschweig / Sedino-Pom.

RESPONDENS.



Prelo ERASMI RÖSNERI,

A 320 1654.

COLLEGIUM

POLITICUM

DE

DE

REPUBLICA

DE

in Florentinis, Gallicanis, et

Anglicanis

Republicis

Ab M. ELLA GREBENITZ

BRASID

Viri

M. ELLA GREBENITZ

Regionibus

et

Republicis

et

et

et

et

et

et

et

et

et



Sectio I.

§. 1.



Societas composita Universalis est *Respu-*
blica, quæ vox *inadequatè* accipitur 1. *ample*,
 prout non solum complectitur *Rempubl.*
 ὁρθὴν seu rectam, quæ τὸ κοινῆ συμφέρον σκο-
 πᾶ, *communem utilitatem intendit*. 3. *Polit. cap. 6.*
 Aut ubi οἷς, ἢ οἱ ὀλίγοι, ἢ οἱ πολλοὶ πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἄρχε-
 σιν, *unus* (scil. in *Monarchiâ*) *vel pauci* (in *Aristocratiâ*) *vel multi* (in
Politiâ) *ad commune bonum gubernant* c. 7. Sed quoq; ἡμαρτημένη,
 seu corruptam, quæ non utilitatem communem spectat; Et illa
 secundum naturam, hæc autem non secundum naturam dicitur esse
 3. *Pol. c. 17.* *vel augustè* pro solo Democratico, seu populari statu.
Adequatè sumitur pro quovis populi ordine, s. sit *Monarchicus*,
 s. *Aristocraticus*, s. *Democraticus*. Ubi adhuc notandum, *Remp.*
 ferre ingenium *Denominativorum*, indeq; tria involvere; 1. *De-*
nominans, seu adjunctum aliquod, quod est ipse ordo *Civitatis*, præ-
 cisè spectatus. 2. *Denominatum*, seu subjectum, quod est *Civi-*
tas, seorsim absque ullo ordine considerata. 3. *Denominativum*,
 quod est *Civitas*, cum ordine *Magistratus* & *subditorum* sumpta;
 Et hoc sensu in præsens *Rempub.* pensitandam aggredimur.

§. 2. *Respub.* descendit à *Res* & *Publica*, quasi res publica vel
 res populi, ad publicam totius populi utilitatem spectans. Ubi
 observandum, res in hæc Etymologiâ non accipi εἰδικῶς ut contra-
 distinctum personis & actionibus, sed γενικῶς, quatenus & res spe-
 ciatim vocatas, & personas & actiones suo ambitu continet. *Publi-*
cum etiam dicitur quasi *populicum*, quia est à *Populo*, nimirum à to-
 tius populi consensu; quia est *ex Populo*, & constat ex totius po-
 puli cætu; quia est *per populum*, dum populus primores atque sena-
 tores includit, qui *Reipub.* sunt curatores & administrationis exe-
 cutores; quia est *secundum populum*, nimir. secundum statum, qui
 à populo est receptus & approbatus; quia est *ad populum*, ad populi
 nimir. nutum & ad ejus voluntatem applicatum & ordinatum; quia

quia est propter populum, & propter ejus utilitatem, totiusque civitatis salutem. *Deutschman Exercit. Polit. c. 6. §. 10.*

§. 3. Nuncupatur ab Aristotele πολιτεια, quod nomen ἀπὸ τῆς πόλεως, à Civitate subjecto illius sortitum est; Civitas enim & Respubl. discriminatur 1. per modum materiae & formae, seu potius Denominati & Denominativi; non aliter ac homines ordinati ad unam constituendam Ecclesiam, & ipsa Ecclesia, 2. quia sunt separabiles, E. g. Civitas Judæorum & aliorum; potest enim Civitas esse absque ullo Magistratu & subditis. Dicitur item Resp. Ordo, forma, anima, vita & Spiritus vitalis civitatis.

Sectio II.

§. 4. *Materia Reipubl. est Civitas 1. sumpta non speciatim, sed generatim, quo de disputat. superiore sect. 3. §. 13.* Nihil proinde obstat, quò minus plures Civitates, quas communiter ita vocari consuevit, dentur, ut tamen una sit Civitas, quæ jam nobis talis est, ac una Respublica; Fieri item potest, ut aliqua detur Respubl. quamvis nulla habeatur Civitas speciatim dicta: Licet enim aliqua Respubl. solis pagis constaret, nec Civitas talis adesset, nihilotenus foret vera Respubl. quia non desset, quæ natura Reip. sibi deposceret. 2. *Sine ordine concepta, atque ab omni imperio abstracta:* Ordinata enim Civitas non tantum materiale, sed etiam ipsum formale sistit, cum cives vel homines, & in simul ordinem eorundem respiciat; atque adeò cum Respubl. concidit.

§. 5. *Forma Reip. collocata est in ordine cum aliarum potestatum, tum maxime omnium suprema.* Dicitur ordo potestatum vel Magistratum, non quod subditi excludantur, sed 1. quod à potiori fiat denominatio, 2. Magistratus subditos præsupponat & includat, non enim potest esse Magistratus, nisi, ut loquitur Philosophus, is sit aliorum, (id est subditorum) Magistratus. 3. *Quod Magistratus potissimum ordinandi sunt, ut alii superiores, alii inferiores, alii summi, alii intermedii, alii sint infimi;* Subditi autem omnes possunt esse æquales, ita ut ordo inter eos tantæ non sit necessitatis. Dicitur porrò ordo Magistratum, & qui subintelligendi sunt, *subditorum*, non enim quivis ordo Rempub. constituit, sed ille demum, qui inter Imperantes & obtemperantes consistit.

§. 6. Ex

§. 6. Ex allatis inferitur, *formam Reip. volvi 1. maxime in ordine potestatis summa*: Quia 1. hac est principium totius ordinis, qui in Civitate constitui debet vel est constitutus; jam sicut res omnis ordinata principio carens est mutila & trunca, ita & Resp. sine summâ potestate non potest esse integra. 2. Quia summa potestas potissima est pars Reip. quâ salvâ salva enim esse potest Respublica, eâ verò corruptâ & mutatâ, corrumpitur quoque & mutatur Respublica. Unde concluditur, Rempubl. minùs fore incolumem & integram, sed partem tantùm ejusdem, quæ non est simpliciter sui juris, verùm alterius superioris Imperio tenetur, quæque aliorum ordinatur, neque per se gaudet independente potestate: Nam, ut rectè scribit Arniseus, *Omnia membra, quantumvis accuratè disposita, quamdiu capiti subjiciuntur, & ab eo reguntur, partes tantùm sunt totius corporis, nec pro integro se corpore venditare possunt.* l. 2. Relect. Polit. cap 1. s. 1. num. 15. Tales sunt Civitates Imperiales, quæ licet dicantur, *Libere*, hoc tamen non ἀπλῶς intelligitur quia Imperatori Romano, à quo omnem suam libertatem & potestatem acceptam ferunt, subjectæ sunt, ejusque authoritatem agnoscunt; verùm ἑστιακῶς, partim respectu Civitatum, quæ inferioris sunt conditionis, nec tantâ fruuntur potestate, partim respectu Magistratus, à cujus Imperio solutæ prorsus & liberæ sunt. 2. In ordine Magistratum, siquidem ita Majestas habet, ut vel nequeat, vel non debeat omnia & singula negotia obire, indeque officialium & consiliariorum operâ indiget. 3. In ordine subditorum, nam 1. Subditi in quâvis Repub: penitus sunt necessarii, adeò ut absque subditis nulla consistere queat Respubl. Qualis enim amabò Imperator sine Imperio, Rex sine regno, princeps sine provincia? Umbra sine re. 2. Majestas & subditi sunt relata; jam autem relata ad se mutuò referuntur & simul existunt. Ergo.

§. 7. *Finis Reip. est Publica utilitas*; Et hic formaliter in Reipubl. involvitur, eâque per se positâ juxta indolem analogorum tanquam famosius significatum importatur.

Sectio III.

§. 8. Ex his facile est cognoscere naturam Reip quam Philosophus 3. Pol. c. 4. definit τὰξιν πόλεως τῶν δὲ ἄλλων ἀρχῶν, καὶ λαλίαι-

μάλιστα τῆς κυρίας πάντων, ordinem Civitatis cum aliarum potestatum,
 cum maxime omnium suprema; quae addito sine complet, c. 6. sub-
 neciens, esse ordinem τῶν συμφέροντων ἕνεκα. Ab his non ablu-
 dit lib. 4. cap. 1. ubi Rempub. dicit τάξιν ἐν τῆς πόλεσιν, ἢ περὶ τὰς ἀρ-
 χὰς, τινὰ τρόπον νεύμενται, καὶ τὸ κύριον τῆς πολιτείας, καὶ τὸ
 τὸ τέλος ἑκάστης τῆς πολιτείας εἶναι, ordinem in civitatibus, circa po-
 testates, existentem, quomodo distributa sint, & quid principale sit Reipub-
 lica & quid finis sit cujuscunq; Reipubl. Quam veloce igitur oculo
 Aristotelem, quem tamen passim culpatur, & insufficientiae arguit,
 Bodinus l. 1. de Repub. c. 1. transmiserit non secus, ac si Rami exem-
 plum sibi proposuisset, vel ex hoc uno elucescit, dum asserere nullus
 dubitat, se Reipubl. definitionem à reliquis, qui de Reipubl. scri-
 pserunt, praetermissam attulisse. Cellarius quidem lib. 2. Pol. c. 1.
 §. 8. reponit Rempublicam non tam multitudinem esse, quam or-
 dinem multitudinis, cum in definiendis accidentibus id, quod ra-
 tionem materiae induit, vicem non generis, sed differentiae susti-
 neat, nec in recto casu proferri queat; Verum multitudinem non
 materiae locum subire constat, cum in casu recto de ordine dici
 aptum natum sit: Quamobrem potius dicimus 1. Multitudinem
 esse genus remotum 2. Genus esse diversi praedicamenti cum defi-
 nito, quod est contra Logicam 4. Top. c. 1. multitudo enim collo-
 catur in praedicamento quantitatis; Jam licet Respublica proprie
 non sit in praedicamento, sicut omnia entia aggregata, tamen poti-
 us ad praedicamentum Relationis, quam ad Quantitatis Categori-
 am est referenda. 3. Nulla adest differentia specifica, quia mate-
 ria praeteritur. Hinc 4. definitio nimis lata evadit, nam in fami-
 lia est multitudo, familia etiam à patrefamilias ratione debet guber-
 nari. Idem dici potest de vico & Civitate. Nec est, quod obi-
 ciatur, Definitionem Aristotelicam itidem esse illegitimam: 1. quia
 omissus est finis, à quo tota dependet Respubl. & specificatur, hinc
 2. Illam esse indifferentem ad rectam & corruptam Remp.
 Respondemus enim confundi denominatum cum denominativo;
 & remittimus ad §. 7.

§. 9. Diversitas Reipublicae est diverso summæ potestatis mo-
 do resultat; quippe cujus intuitu herciscitur in simplicem & mixtam.
 Simplex Respublica est, ubi summa Potestas est indivisa; Estq; vel
 Monarchia

Monarchia vel Polyarchia; Et hæc rursus, vel Aristocratia vel Politia: Ut ita tres emergant species simplicis Reipubl. Monarchia, Aristocratia, & Politia. Hoc vult Aristoteles l. 3. Pol. c. 7. ubi inquit: *Necesse est, esse summam potestatem aut penes unum, aut penes paucos, aut penes multos.* Idem ex festis tradit verbis 8. Eth. cap. 12. & 4. Pol. cap. 2.

§. 10. Monarchia summi amat vel pro Dominio iu totum mundum, aut maximam ejus partem, quomodo vulgò 4. numerantur Monarchiæ; vel pro Republica unitis summam tenentis potestatem, sive legitimam f. illegitimam. Priori modo salutatur a-
his Regnum 3. Pol. c. 7. & 4. Pol. c. 2. Non enim regno jam oppo-
nitur, sicut accipi videtur 5. Pol. c. 10. vocitatur 4. Pol. c. 2. Resp.
πρώτη, quia primùm existisse. originemque ex paterno Imperio
traxisse existimatur; Βελτίστη 8. Eth. c. 12. Διοτάτη 4. Pol. cap. 2.
quia ad Dei Imperium quàm maximè accedit: quemadmodum e-
nim unus est Deus, à quo mundus universus tanquam provincia
quædam gubernatur. l. de mundo c. 6. Ita in Regno unus est. penes
quem est Imperii Summa. Definitur 1. Pol. c. 8. εν ἡ εἰς ἀπαντων
κύριος ἔστιν, in quâ unus omnium Dominus est, & 3. Pol. cap. 7.
πρὸς τὸ καὶνὸν συμφέρον ἀποβλέψασα. Requiritur ergò 1. ut pe-
nes unum Summa resideat Majestas; Et quidem ut impertet κατὰ τὴν
ἑαυτῆς βύλησιν, nam qui κατὰ νόμον Imperare tenetur, summam
potestatem non habet, nec Regnum constituit, fierique potest, ut
& in Aristocratiâ & Politia secundum Leges quis imperet, ita ta-
men, ut Aristocratiâ & Politia maneant invariata, per ea, quæ tra-
dit, Aristotel 3. Pol. 16. Hinc intelligitur, Dyarchiam, Trium-
viratum, & similes status, non ad Monarchiam, sed potius ad Ari-
stocratiâ esse referendos. Neuter enim inibi alterius tenetur im-
perio; neuterque sine alterius consensu imperare potest, sed utri-
usque Summa potestas, & inde neuter est Monarcha. Wendel. Philo-
sophia pract. l. 2. Sect. 1. cap. 4. Explic. 3. Ex eodem præterea notari
potest, Monarchiam non mutari in Dyarchiam, quando foemina
Monarcha nubit peregrino principi, qui postea parem cum eâ po-
testatem sibi sumit, talis enim Monarchia Aristocraticè quidem gu-
bernatur, Patriculis inserim summæ potestatis penes uxorem ma-
nentibus. Hoc inde videre, est quia omnis, quam maritus habet,
potestas

potestas ad tempus durat, ideoq; forma non mutatur, & distinguendum est inter formam Reipublicæ, & administrationem ejusdem. 2. *Ut publica intendatur salua & utilitas*, aliàs degenerat in Tyrannidis aut Dominatus conditionem. Respicit autem Majestas communem utilitatem, cum subditos paterno amore & cura complectitur 8. *Eth. cap. 12.* idque semper, quod honestum est, præfixum habet, nec committit, ut divitibus aliquid injusti immittatur, aut pauperes injuriâ afficiantur 5. *Pol. cap. 10.* Hoc tamen ita intelligendum venit, ut Monarcha πρώτως communem salutem intendat, nam δεύτερος etiam sui curam gerere potest 3. *Pol. c. 6.* Prætereà decet, ut ille qui ad gubernacula Reip. sedet, si felicem velit obire guernationem, 1. inter omnem virtutibus emineat 3. *Pol. cap. 7.* 2. Autoritate polleat 3. *Pol. c. 13.* 3. Religionem colat 5. *Pol. c. 11.*

S. II. *Aristocratia* dicitur, vel quod ἀριστοι, id est, optimi seu optimates, imperent; vel quod imperantes ibi πρὸς τὸ ἀριστον, hoc est, salutem Reipubl. attendant, ut habet Aristot. 3. *Pol. c. 7.* Diversimodè accipitur, quo de 4. *Pol. c. 7.* hoc loco intelligitur Respublica, ἐν ἧ ὀλίγοι, πλείονες δὲ ἐνὸς, ἀρχῶσι καὶ πρὸς κοινὸν συμφέρον ἀποβλέπουσιν, id est, ubi pauci, plures tamen uno, summam habent potestatem, & ad communem respiciunt utilitatem. d. I. Quare ad Aristocratiam acquiritur 1. *Ut uno plures imperent*, aliàs foret Monarchia. 2. *Ut Imperantes quidem uno plures, pauci tamen sint, non autem omnes*, cæteroquin aberetur in Politiam; Deinde etiam pauci hoc loco appellantur respectu obtemperantium, licet enim Imperantium numerus non adeò definiri queat, tamen minus expedit, numerosiores obtemperantibus esse Imperantes 3. *Ut summam potestatem habeant.* 4. *Ut communem utilitatem respiciant*, & secundum virtutem imperent: *Finis enim Aristocratiæ est virtus* 4. *Pol. c. 8.* Imperantes autem in Aristocratia vocantur ἀριστοι, optimi seu optimates 3. *Pol. cap. 7.* non qui divitiis, magnitudine &c. sed virtute tales sunt & excellunt: *in Aristocratia enim honores secundum virtutem maxime distribuuntur* 4. *Pol. c. 8.* Dicuntur optimi 3. *Pol. cap. 17.* ἡγεμονικοί, primary; si non ἀπλῶς, quales in Aristocratia ad amissim perfectâ Philosophus 4. *Pol. c. 7.* requirit, tamen πρὸς ὑπόδειξιν l. suppositionem quandam bonorum virorum, & respectu ad alios cives

os cives, quibus in hac vel ista Repub. non apparent meliores; Sicut pro optimâ Repub. etiam habenda est, quæ non est optima simpliciter, sed tantum quantum fieri potest 4. Pol. c. 6. Male itaque Bodinus non dubitat etiam Aristocratiam proclamare, in quâ flagitiosissimi imperant; Aliud vel ipsum nomen dicitur: Nam necesse est in Aristocratia qui imperant, apparere optimos, unde & nomen, huiusmodi accepit, ait Arist. 1. Rhet. 8.

§. 12. Politia hic pressus sumitur pro tertiâ speciê Politias laxius dictæ §. 9. olim nuncupabatur τιμοκρατική ἀπὸ τῶν τιμημάτων, à censibus, irradiante Aristot. 8. Eth. c. 12. Χειρὶς, non in se, sed comparatè saltem, quod hæc inter rectas Formas Reipubl. sit minus bona. Maximè autem accommodata est populis bellicis 3. Pol. c. 17. Definitur 3. Polit. cap. 7. ἡ πολιτεία, ὅταν τὸ πλῆθος πολιτεύεται πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον, *Respublica, ubi multitudo seu populus summam habet potestatem, & ad communem respicit utilitatem.* In Politia itaque 1. *Majestas sita est penes multos, id est, Omnes Multi* dicitur de quibusdam & omnibus, & ab utrisq; præscindit, interdum tamen per tropum accipitur pro omnibus, docente Aristot. 1. de Poet. c. 25. Qui significatus & jam valet, cum multi dicantur in oppositione ad paucos s. quosdam. Hoc tamen non prohibet, quò minus diversi gradus populi constituti sint, & alli aliis superiores, Cæterò quin foret Cyclopica confusio. Porrò Majestas residet penes multos, non disjunctim, sed conjunctim, est enim Politia Respubl. simplex; Et quod Aristot. 4. Pol. cap. 4. tradit de Democratiâ, id quoque de Politia obtinet, sc. ὅς πολλοὶς κυρίως εἶναι, ἔχ ὡς ἕκαστον, ἀλλὰ πάντες, *Multos summam potestatem habere, non ut singulos, sed ut omnes.* Hinc expirat, si quis dicat, ubi omnes sunt Imperantes, ibi nullos esse obtemperantes. 2. *Ut communem intendant utilitatem;* Quò conducit, secundum leges à prudentioribus sancitas, & populi autoritate confirmatas gubernare, ut ex Aristotel. fusius deducit Cellarius lib. 2. Polit. Disput. §. 14. Cum autem nec Legibus nec Magistratu res dijudicari queunt, ad suffragia de his particularibus ferenda viritim non omnes admittendi sunt, ne pauperes, quorum semper plures sunt, multitudine votorum superent divites; sed certi quidam utrinque ad dirimendas ejusmodi lites

B

con-

constituendi. Confer *VVend. Philos. Pract. l. 2. sect. 1. c. 4. expl. 14.*
item *Cellarius d. l. §. 15. & seqq.*

§. 13. Quòd denique ad *Rempub. Mixtam*, illam non quævis mixtio constituit, sed ea tantum, ἐν ᾗ πλείονες ἐνὸς τὸ κύριον κεχωρισμένως ἔχουσιν, in quâ plures uno summam potestatem separatim habent. Requiritur enim ut 1. *Majestas collocata sit in pluribus*, Idquè 2. *Divisim*; Quemadmodum verò penes plures indivisim residere dicitur, cum aliqui vel omnes conjunctim illam obtinent, ita ut nemò seorsim Regalia exercere queat: Sic vice versâ. In hoc ergò natura *Mixtæ Reipubl.* consistit, ut alicubi duæ vel plures *Resp. simplices* conveniant, ita tamen ut penes unamquamq; illarum aliqua tantum summa potestatis particula sint, aliqua non sint, penes autem omnes simul sumptos tota sit, inquit *Cellar. l. 2. c. 6. §. 10.* Denique notandum est, hanc *Mixtionem* diversimodè posse fieri, ex puris *Monarchiis*, ex *Monarchiâ & Aristocratiâ &c.* Fusiùs hic dispiciendum foret, quæ pronegandâ *Rep. Mixtâ* afferantur? *Quenam Reipubl. sit optima?* *An item Imperium nostrum Romano-Germanicum sit Monarchicum?* Verùm hæc conflictui reservabimus.

§. 14. *Reipubl. ἡμαρτημένη*, corrupta indigitatur aliàs φθορὰ καὶ πάρεμβασις §. *Eth. cap. 12. 3. Pol. c. 6. & 7. item 4. Pol. c. 2.* definitur ea, quæ τὸ σφέτερον τῶν ἀρχόντων συμφέρον σκοπεῖ, privatam tantum imperantium utilitatem intendit. 3. *Pol. c. 6.* Aut ubi πρὸς τὸ ἴδιον συμφέρον ἢ τῶν ἐνὸς, ἢ τῶν ὀλίγων, ἢ τῶν πλείων, ad privatam utilitatem vel unius (in Tyrannide) vel paucorum (in Oligarchiâ) vel multitudinis (in Democratiâ) spectatur 1. *Pol. c. 7.* Ejus species sunt itaq; *Tyrannis, Oligarchia & Democratia.* 8. *Eth. c. 12. & 4. Pol. c. 2.* Atque ex iis *Mixta corrupta.*

In sublimiorem DEI gloriam!

Doctis-

Doctissimo

Dn. RESPONDENTI,

Adfili suo charissimo,

Non torquent refugo trepidos quasi lumine vultus
Desuper ast alacres protinus alta petunt,
Quos Magni ad magnum genuit natura Parentis,
Ex his sperari commoda mille scias.

BRAUNSVVIGI, Generis decus, & spes unica Matris;
Adfines charos inter, ocelle mihi,

*Quid sibi jure queat de Te RESPUBLICA tandem,
Spondere, etatis flore placente doces:*

*Differis in docto, reliquis cum, scammate, doctis
RES que sit rectè PUBLICA, queq; minus.*

*Gratulor; ut gratans vox sit rata Celsus in alto
Faxit; cui quidvis, si velit, obsequitur.*

*Sis Patriæ ac Generi semper decor amplius in orbe;
Et supero placeas, perpete amore; Patri.*

Paucula hæc fundebat

GOTTLIEB PELARGUS,

SS. Th. Doct. & Prof. Pub. Fac.

Theol. Senior. & h. t. Decanus.

ARbor naturam servat, quo semine creta,
Originemque suam planta referre solet;
Nec proles, claræ ducens primordia Gentis,
Sustinet, obscuro delituisse loco:
Illud BRAUNSVVIGIUS firmat, cui calcar in alta
Majorum Virtus addit, & ipse satus.

Genere juxta atq; Doctrinâ præstantissimo

Dn. Respondenti Auditori suo maxime

Spei app.

PRÆSES.

Mens

B 2

Mens humilis Musis habitantibus ardua Phœbi
Apta minus, minus est tangere celsa potis:
Pieridum turmam virtus Heroica querit
Et sperans artis mens generosa decus:
Nec BRUNSVVIGE tuum molimen culmina Pindi
Fallit, sed sequitur nobile laudis iter;
Nec concedit humi Te serpere Spiritus altus,
Dum facit Aonidum Te penetrare juga.
Perge modo & porro Musarum strenuus esse
Cultor, erit tempus præmia quando feres.

Præstantissimo & Doctissimo

Dn. RESPONENTI

app.

ERNESTUS ROBERTSON.



Publica quid Res sit, claro sub præside quæris
BRUNSVVIGI nodos hanc circa solvere, gnare.
Est hoc artis opus, sed non præstantius ullum
Quàm quod nitaris præcepta ferantur ut olim
In varios usus Patriæq; tuiq; salutem,
Sic erit haud obscura Patris Tibi fama superstes.

Ita Præstantissimo Domino RESPONENTI,
Amico suo ex multis charissimo fo-
vebat.

Johannes Köhler/
Stetinens.



00 A 6456

ULB Halle
002 929 244


3




R

Wort







34

EGII

36

TICI

QUINTA,

LICA,

leberrimaq; Mar-

cademiâ,

aximo adspirante,

hilosophicâ suffragante,

IDE

reclarissimo
REBENIZ,

o, Fautore & Præce-

devenerando,

sdem collectam dispu-

roponit

o horisq; constitutis,

tsweig / Sedino-Pom.

NDENS.

I RÖSNERI,

54.